



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

VII. De statu, ampliacione, restrictione, alienatione & diminutione
terminorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

positione licet inferre: *ergo hic equus requiritur ad equitandum, vel hic equus requiritur ad equitandum, vel hic equus requiritur, &c.* quia non potest demonstrari vnus indiuiduus equus, de quo verum sit dicere requiri ad equitandum, quocumque enim ablato fiet equitatio.

Sunt, qui nolint distinguere suppositionem particularem à confusa, verumtamen hi confundunt ea, quæ in se valde discrepant. Harum suppositionum distinctionem breuissimè ostendam. Da mihi hanc propositionem esse veram, *aliquis equus currit*, tunc, qui attentè inspicere omnes equos posset absolute, & absque vlla distinctione quemdam determinatum equum currentem demonstrare, & dicere, *hic equus currit*, quem saltem Deus agnoscit, & designare posset, respectu cuius verificatur propositio. Deinde sume tibi hanc propositionem esse veram, sicuti de facto est, *Equus requiritur ad equitandum*, adhuc posita illius veritate quantumvis perfectè equos omnes comprehenderes, non posses designare vnum determinatum equum, de quo diceres, *hic requiritur ad equitandum*, & respectu huius specialiter, & non respectu aliorum verificatur propositio illa, *equus requiritur ad equitandum*. Neque Deus ipse potest talem designare equum, quia in re non est, neque magis vnus præ aliis requiritur. Confirmatur: demus ut argumentum clarius procedat, tantum dari duos equos, supposita hac veritate *aliquis equus currit*, eo ipso quod verè dicatur *hic equus non currit*, per consequentiam necessariam inferret alterum currere. Supposita tamen hac veritate, *equus requiritur ad equitandum*, etiam si quis dicat, *hic equus non requiritur ad equitandum*, non poterit inferri: ergo alter, & alius ab hoc distinctus requiritur, quia sine hoc poterit fieri equitatio in illo, & sine illo poterit fieri equitatio in isto; & ita inassignabilis est, qui illorum requiratur, sicuti potest assignari qui illorum currat, supposita veritate huius propositionis. Ratio à priori est, quia hoc quod est currere, dicit determinatam actionem iam exercitam, quæ non potest à determinato principio non procedere, hoc tamen quod est equum requiri, non dicit determinatam actionem, sed tantum necessitatem conditionatam vniuscuiusque indiuidui equi ex suppositione, quod reliqui ab ipso distincti absint. Vide quæ de hac re scribo *Controuer. 5. Logice, Punct. 5.* ubi naturam indiuidui vagi explano. De regulis indicantibus distinctas terminorum suppositiones consule Cardinalem Toletum *lib. 2. cap. 2. & 3.* ego enim breuitati consulens illas omitto, quia existimo ex doctrina tradita sufficienter quamcunque suppositionem cognoscendam esse.

PUNCTVM VI.

De ascensu & descensu.

Iuxta quatuor suppositiones proximè enumeratas quatuor reperiuntur genera ascensus, atque descensus, ideo horum explicatio illarum explanationi annectitur. Rectè ascensum definit Toletus *lib. 1. cap. 8. à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale progressio*, sicuti *hic ignis est calidus, & hic ignis est calidus, & hic ignis est calidus*, & in cæteris simili modo: *ergo omnis ignis est calidus*. Descensus est argumentatio ab vniuersali ad singularia sub illo contenta, sicuti cum dicimus, *omnis ignis est calidus*, inferre possumus: *ergo hic ignis est calidus, & hic ignis est calidus*.

Quadruplex est ascensus (idem intellige de descensu) iuxta quatuor suppositionum genera copulatiuus, copulatus, disunctiuus, & disunctus. Ascensus copulatiuus respondet termino supponenti distributiue seu copulatiue, sicuti in exemplo allato *omnis ignis calefacit*, in quo ascensu integræ propositiones coniunguntur, dicimus enim: *hic ignis calefacit, & hic ignis calefacit, &c.* ergo omnis ignis calefacit. In hoc ascensu necessariò sunt recensenda omnia singularia, & de illis omnibus debet verificari ratio inferenda in propositione vniuersali, vno enim singulari dempto, propositio vniuersalis legitime non inferretur, & vnà propositione singulari falsà existente, vniuersalis falsa erit. In descensu, qui huic ascensui correspondet, et si omnia

singularia possint recenseri, non omnia necessariò recensenda sunt, posita enim hac vniuersali propositione *omnis ignis calefacit*, possumus ad vnum, vel alterum indiuiduum argumentatione descendere inferendo solum: *ergo hic ignis calefacit*, quæ illatio erit legitima, etsi de aliis indiuiduis in illa vniuersali contentis mentio non fiat.

Ascensus copulatus respondet termino supponenti collectiue, qui fit à singularibus omnibus, nullo dempto copulatiue, seu collectiue enumeratis, sicuti in hac illatione: *Hic Apostolus Dei, & hic Apostolus Dei, & hic Apostolus Dei sunt duodecim: ergo omnes Apostoli Dei sunt duodecim*. Huic ascensui similis descensus respondet à termino communi ad omnia singularia copulatiue sumpta, quæ sicuti in ascensu simul omnia nulloque prætermisso debent recenseri, aliàs consequentia erit inepta, & falsum consequens.

Ascensus disunctiuus respondet termino particulari disunctiue supponenti. Hic fieri non debet ab omnibus particularibus, licet ab omnibus, seu ab aliquibus, & etiam ab vno, dummodo de illo verificetur prædicatum inferendum, fieri possit. Hæc est enim optima consequentia, *hic homo currit, vel hic homo currit: ergo aliquis homo currit*. Similiter rectè *hic homo currit: ergo aliquis homo currit*. Huic ascensui similis descensus respondet, in hoc tamen recensenda sunt omnia singularia, vt teneat consequentia, si enim existant tres homines, & quis dicat, *aliquis homo currit non rectè inferretur: ergo hic homo currit, vel hic homo currit* tertio prætermisso, quia forsitan tertius ille erat, qui currebat, & ratione cuius vera erat illa propositio, *aliquis homo currit*.

Ascensus disunctus respondet termino supponenti confusè, qui fit à singularibus disunctim sumptis in eadem propositione; exempli gratia, *vel hic equus, vel hic equus, vel hic equus requiritur ad equitandum: ergo equus requiritur ad equitandum*. In hoc ascensu recensenda sunt omnia singularia vt antecedens sit verum; quod si omnibus non recensitis posset verificari, aut verum esse supponatur, optime ex illo fiet ascensus, & consequentia erit legitima, rectè enim inferretur: *hic equus, vel hic equus requiritur: ergo equus requiritur*, etiam si aliàs existant plures equi, quod non ineptam consequentiam, sed falsum antecedens constituit. Huic ascensui similis descensus respondet, in quo debent omnia singularia recenseri, ex hac enim propositione *equus requiritur ad equitandum*, rectè inferimus illam in quam resoluitur: *ergo vel hic equus, vel hic equus, vel hic equus requiritur ad equitandum*, quod inferri nequit omnibus equis indiuiduis non recensitis, aliàs consequentia erit mala, & falsum consequens, quia vno tantum equo assignato, qui omitatur, reliqui omnes non erunt necessarij ad equitandum.

PUNCTVM VII.

De statu, ampliacione, restrictione, alienatione, & diminutione.

Status, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, & Diminutio, proprietates sunt terminorum, suppositionumque affectiones, ideo de his disputant Dialectici omnes. Cum nomen, illiusve categorema accipitur pro his rebus, quæ existunt, tunc dicitur suum habere statum. Cum verò sumitur pro pluribus, tunc ampliatur. Exempli gratia, cum dico *omnis homo currit*, præcipua copula significat tempus præsens: terminus *omnis homo* statum dicitur habere si supponat pro his tantum hominibus, qui existunt tempore præsentis, vt existentibus tempore præsentis. Eadem ratione statum habere existimo terminum *omnis homo*, in his propositionibus *omnis homo currit, & omnis homo currit*, quia in priori tantum supponit pro hominibus præteritis, & in posteriori pro futuris, siue hi futuri modo existant, & antea extiterint, siue tantum sint extituri; & illi præteriti existant modo, & postea sint extituri, aut tantum extiterint; ad priorè enim propositionem de præterito tantum spectat hominū præteritio, præsentia verò, & futuritio ipsorum impertinenter se habet; & ad posteriorem

riorem de futuro tantum attinet hominum futuro, illo-
rum vero presentia, aut praeteritum ad rem non attinent.
Neque scio quo fundamento dicat Toletus verbum praeter-
iti ampliare secum subiectum secundum duas temporis
differentias nempe praeteriti, & praesentis; & verbum fu-
turi ampliare subiectum ad duas alias temporis differen-
tias praesentis videlicet, & futuri: ita ut cum dicimus,
Petrus currit, nomen *Petrus* supponat pro Petro, qui
est, vel fuit, & non pro Petro, qui erit; & cum dicimus
Petrus currit, supponat pro Petro, qui est, vel erit, & non
pro Petro, qui fuit. Quae doctrina mihi displicet, quia
cum dicimus *Petrus currit*, necessario debet supponere
pro Petro qui fuit, quod si Petrus ille, qui fuit, modo possit
esse praesens, etiam poterit esse crastina die futurus; & si-
cut futuro crastina impertinenter se habet ad hoc ut cu-
rrerit, sic praesentia hodierna inutilis est ad cursum praeter-
itum, & ita non potiori ratione nomen *Petrus* debe-
ret extendi ad tempus praesens, quam ad futurum. Si-
militer cum dicimus *Petrus currit*, nomen *Petrus* neces-
sario debet supponere pro Petro existente, & aequè imperti-
nenter se habet ad veritatem propositionis existentia, &
praeteritum eiusdem Petri, quare ad nullum tempus appli-
candus est terminus *Petrus*, & si ad praesens esset ampli-
andus, ad praeteritum eodem iure ampliaretur. Supponit
ergo nomen *Petrus* in hac propositione *Petrus currit*, pro
Petro existente, siue modo existat, & extiterit, siue tantum
existurus sit.

Ampliatio est cum terminus supponit non solum pro
his, qui existunt tempore importato per praecipuam copu-
lam, sed etiam pro existentibus in alio tempore, sicuti
in hac propositione, *omnis homo, qui est, & qui fuit currit*,
in qua praecipua copula *currit*, tantum importat tempus
praesens, & terminus *omnis homo*, non solum stat pro ho-
minibus, qui sunt modo praesentes, sed pro his, qui antea
fuerunt. Similiter in hac propositione, *omnis homo est ratio-
nalis*, copula tantum importat tempus praesens, & termi-
nus *homo* stat pro hominibus praesentibus, praeteritis, &
futuris, & etiam pro possibilibus, & his enim omnibus
fit illa enuntiatio, quae utpote essentialis, & aeterna ve-
ritatis, abstrahit a tempore: quod contingit in omnibus
eiusdem rationis, & in aliis quae similem necessitatem ha-
bent saltem ex lege Dei, sicuti in hac propositione, *Iusti
Deum videbunt*, terminus *iusti* ampliatur ad iustos tempo-
ris praeteriti, praesentis, & futuri, licet praecipua copu-
la tantum indicet tempus futurum.

Placet advertere nomina singularia tantum posse am-
pliari secundum tempus, quia non habent inferiora, ad
quae extendantur, nomina vero communia ampliari ad
tempus diversum, & ad diversa subiecta, cum enim di-
cimus, *homo est rationalis*, terminus *homo* ampliatur ad om-
nia tempora, & similiter ad homines praeteritos, & fu-
turos distinctos ab his, qui modo sunt. Terminus autem
Petrus cum in se non sit multiplicabilis, neque compre-
hendat distincta subiecta, tantum potest secundum tem-
pus ampliari. Notant etiam Doctores terminos connota-
tivos ampliari secundum formam, ut cum dicimus, *al-
bum fuit nigrum*, subiectum ratione formae ampli-
atur, ita ut sensus sit, subiectum quod modo habet albe-
dinem, vel quod illam habuit, antequam illam haberet
fuit nigrum.

Tempora, secundum quae terminus ampliatur sunt praesens,
praeteritum, & futurum, addunt nonnulli possibile,
& imaginatum, ad quae se possunt extendere termini, qui
afficiuntur verbo significante actum animi internum, sicuti
desiderium, & cognitionem, possum enim appe-
tere, & cognoscere non solum ea praesentia, praeter-
ita, vel futura, sed etiam illa, quae tantum sunt pos-
sibilia, & quae tantum imaginantur, & in se repugnantiam
habent.

Aliud ampliationis genus assignat Hurtadus, quod in
eo situm est ut terminus significet tempus distinctum ab
illo, quod importat copula, quod tunc contingit, quan-
do termini propositionis significant formas impossibiles,
ratione quarum ad diversa tempora recurrendum
est, ut propositio verificetur, veluti cum dicimus, *iustus
peccat*, quae propositio non potest intelligi de illo, qui
modo est iustus, quia non potest esse iustus & pec-
tor in eadem mensura temporis, & ita terminus *iustus* non
debet supponere pro tempore praesenti, quod importat
copula, sed pro praeterito; & sensus propositionis erit,

homo qui fuit iustus, modo peccat. Sensus propositio-
nis explicatum legitimum esse non inficior, verumtamen
haec extractio termini *iustus* improprie dicitur ampliatio;
illud enim quod ampliatur retinet quod antea habebat, &
aliud de nouo acquirit, in praesenti autem casu terminus
iustus, qui ex vi copulae debet supponere pro iusto de praesenti
ratione praedicati amittit hanc suppositionem, & ac-
quirit aliam pro tempore praeterito, quae potius mutatio
quam ampliatio dicitur.

Restrictio est termini coarctatio à maiori ad minorem
significationem. Haec praecipue fit quatuor modis. Pri-
mo per conjunctionem nominis adiectivi, ut cum dico
omnis homo doctus, terminus *omnis homo*, qui etiam pro in-
doctis supponebat ab his excluditur, & tantum ad doctos
se extendit ratione adiectivi adiuncti. Notat bene Toletus
nomen adiectivum addendum esse ex parte extremi
restringendi, quia si ex parte alterius addatur, nulla fit
restrictio, cum enim dicitur, *omnis homo est sapiens*, termi-
nus *omnis homo* pro sapientibus, & insipientibus supponit.
Secundo fit per appositionem relatiui, qui modus dici
solet per copulam implicationis, ut *omnis homo, qui est Ma-
trix*, ubi terminus *omnis homo* restringitur ad illos tantum,
qui Matrici existunt, & ab illo excluduntur omnes, qui
extra Matricem degunt. Tertiò per additionem obliqui,
sicuti in hac propositione *omnis equus Regis est albus*, obli-
quum *Regis* restringit terminum *omnis equus* ad equos re-
gios. Quarto fit per appositionem substantiui inferioris,
ut cum dicimus, *Ciuitas Toletum*, nomen *Ciuitas* restrin-
gitur ad Toletum, & ab illa ciuitates aliae exclu-
duntur.

Terminus amplius se habet respectu non ampli, seu
restricti tanquam superius respectu inferioris; unde sicuti
valet affirmatiue, & negatiue, à superiori distributo
ad inferioris, sic valet ab amplo ad non amplum, seu ad
restrictum; sicut enim haec est bona consequentia: om-
ne animal est sensitivum: ergo homo est sensitivus, sic
ista: omnis homo, qui est, & qui fuit currit: ergo
omnis homo, qui est, currit. Omnis equus currit: ergo
omnis equus regius currit. Nullus equus currit: ergo
equus regius non currit. Non tamen valet ab amplo, seu à
non restricto non distributo, seu particulariter sumpto ad
non restrictum, haec enim sunt ineptae consequentiae: Equus
currit: ergo equus regius currit. Equus non currit: ergo
equus regius non currit: quia propositio illa *equus non cur-
rit*, aequivalet huic, *aliquis equus non currit*, & ex vno sin-
gulari aliud singulare non inferitur. Notat bene Toletus in
argumentatione ab amplo, seu à non restricto, distributo
ad non amplum, seu ad restrictum debere supponi con-
stantiam subiecti, si affirmatiue concluditur, alias poterit
esse antecedens verum, & consequens falsum; nullo enim
equo regio existente, haec propositio, *omnis equus currit*,
potest esse vera, & non licet inferre: ergo equus regius
currit, quia talis equus non subsistit; supposita tamen illius
existentia, consequentia erit legitima. A restricto & non
amplo valet affirmatiue, & negatiue ad amplum, & non
restrictum non distributum, seu particulariter sumptum,
haec enim est bona consequentia: Equus regius currit: ergo
equus currit, similiter & ista: Equus regius non currit: ergo
equus non currit.

Alienatio est extractio nominis à propria ad impro-
priam significationem, ut cum *homo*, quod significat ve-
rum animal rationale adducitur ad significandum homi-
nem pictum, vel statuum hominis; ut cum dicimus,
homo pictus est in aula, *homo marmoreus est in foro*. Diminutio
fit cum terminus, qui rem absolute significat ratio-
ne alicuius additi, illam secundum quid significat ut
cum dicimus, *Ethiops est albus secundum dentes*, in qua
propositione illud additum *secundum dentes*, minuit ratio-
nem albi, & facit terminum album secundum quid signifi-
ficare, qui absolute hominem album significabat. A ter-
mino alienato ad non alienatum, neque diminuto ad non
diminutum, neque è contra nulla fit illatio, non enim
valet: *est homo: ergo est homo pictus*: aut *est homo pictus: ergo
est homo*: neque *homo est albus secundum dentes: ergo al-
bus: aut est albus: ergo est albus secundum dentes*.

Appellatio est denominatio, quae vna dictio aliam de-
nominat. Exempli gratia, si dicas, *Petrus est bonus Philo-
sophus*, nomen *bonus* appellat supra formale significatum
huius vocis *Philosophus*, seu supra Petrum formaliter sum-
ptum ut *Philosophum*, ita ut sensus sit, *Petrus est peti-
tus*

eus Philosophia. Si autē dicas, *Petrus bonus est Philosophus*, nomen *bonus* non appellat supra Petrum ut Philosophum, sed supra Petrum materialiter sumptum, ita ut sensus sit *Petrus bonā indole*, seu excellenti virtute praeclatus est Philosophus. Hae appellationes materialiter dicuntur, & illa formalis. Circa appellationem duo bene notat Fonseca. Primum nomen appellans vel esse adiectivum, vel instar adiectivi se habere; & nomen appellatum substantivum esse, vel se gerere instar substantivi, quia appellatum quasi substantivum appellanti, & appellans quasi appellato adiacet. Secundo notat nomen appellatum aliquando sumi materialiter, ut patet in exemplis allatis, *Petrus bonus est Philosophus*, & *Petrus est Philosophus bonus*, in quarum priori propositione nomen appellatum videlicet *Petrus* materialiter sumitur, & in posteriori formaliter: nomen vero appellans semper sumitur formaliter. Quia si materialiter sumeretur loco appellationis, puerilis quædam, & nugatoria repetitio fieret, cum enim diceremus, *Petrus est vir magnus*, si terminus *magnus* materialiter sumeretur, sensus esset, *Petrus est vir vir*, seu *Petrus est vir Petrus*.

Nonnullas regulas inuenio apud auctores ad cognoscendum, quomodo fiat nominum appellatio, an supra materiale, an supra formale significatum, nullam tamen fixam inuenio, neque firmam ratione stabilitam, dependet enim multum nominis appellatio ex materia in qua fit, ex subiecto appellato, ex modo loquendi, ex antecedentibus, & consequentibus, ex linguarum idiomate, aliisque circumstantiis, quas si inspiciant periti linguarum cuius propria sunt nomina, facilius appellationes cognoscunt. Neque alia potest dari regula, quæ in omnibus casibus indefectibilis sit, reperitur enim propositio terminis eodem modo dispositis, in quarum una subiectum materialiter, & in altera formaliter appellatum inuenies. Exemplum sit in his propositionibus: *densum occupat paruum spatium: densum est dulce*, in quarum prima subiectum formaliter est appellatum: quia densum ut densum formaliter occupat paruum spatium; & secunde subiectum materialiter est appellatum. Similiter subiectum huius propositionis *album est dulce*, materialiter appellatur, & subiectum huius *album est pulchrum*, formalem habet appellationem. Eadem ratione hæc propositio *Tullius magnus fuit orator*, significat Tullium magnum arte oratoria fuisse oratorem, quod est subiectum formaliter appellari; si vero de alio homine similis propositio enunciaretur, subiectum materialiter appellaretur, vulgare enim exemplum appellationis materialis esse solet *Petrus magnus est Philosophus*. Scio harum distinctarum appellationum nonnullam inueniri rationem, verumtamen si ex illa velimus regulam constituere, tot ferè regulas instituemus, quod propositiones inuenientur.

Neque audiendi sunt Fonseca lib. 8. cap. 4. & alij Summulista, qui cum asserunt hanc appellationem *vidi Papam* formalem esse, & materialem istam *Papam vidi*, ita ut sensus prioris propositionis sit, *vidi hominem*, quem Papam esse cognoui; & posteriori asseratur, *vidi hominem*, qui est Papa, non tamen agnoui Papam esse. Idem asserunt de his propositionibus, *vidi venientem*, *venientem vidi*, & aliis similibus. Quod gratis & sine fundamento dicitur, aliæque impugnatione non indiget.

CONTROVERSIA II.

De sciendi instrumentis.

SCIENDI instrumenta sunt Definitio, Divisio, & Argumentatio, de quibus præsens instituitur Controversia.

PUNCTUM PRIMUM.

Quid sit Definitio.

Definitio, quæ apud Latinos finitio dici solet, ab agnitionis finibus nomen desinit, sicut enim fines, seu termini agnitionis ita agnoscentibus, ut nihil

horum extra illos reperitur, ita definitio sua definita vndeque comprehendit, ut nullum sit quod definitione non cingatur, neque aliquid definitio amplectatur, quod naturam definiti non contineat. Est igitur definitio *oratio explicans naturam rei*. Oratio dicitur, quia necessario plures dictiones debet continere, quædam ex vi cuius definitum cum aliis contineat, quod nomen *oratio* præstat in definitione positum, est enim commune multis, quæ definitiones non sunt: aliam ex vi cuius definitum fecernatur à reliquis omnibus, de quibus definiendis ex vi illius definitionis non agitur. Hoc præstant reliquæ particulae *explicans naturam rei*. Hoc enim quod est explicare rei naturam proprium est definitionis. Idem videre est in quacunque definitione, adduco communissimam *animal rationale*, in qua nomen *animal*, seu conceptus illi respondens commune est non hominibus, *rationale* autem coniunctum animali, ita proprium est hominis ut nulli ab homine distincto correspondeat. Conceptus multis communis, qui in definitione reperitur, genus dicitur; & proprius conceptus definiti differentia appellatur, ex quo fit definitionem omnem constare genere, & differentia, vel aliquo, loco generis, & loco differentie, quia non quidquid aliis commune est generis propriam rationem habet, licet in definitione vices generis obtineat.

Vulgò tota hæc propositio, *homo est animal rationale*, definitio hominis solet appellari, verumtamen adæquata definitio consistit in altero extremo, *animal rationale*. Ob hanc rationem rectè dicebat Aristoteles 1. *Periherm.* cap. 4. ipsam hominis rationem, definitionem, enunciationem non esse, nisi vel *est*, vel *erit*, vel *erat*, aut aliquid addatur, quia unum est, & non multa. Rationem manifestè conuincit, hæc propositio *homo est animal rationale*, continet ipsum definitum, videlicet *homo* quod neque est sui ipsius definitio, neque pars suæ definitionis: ergo subiectum illius propositionis *homo est animal rationale*, omnino est extra hominis definitionem. Neque huic conceptui *animal rationale*, qui est definitio hominis, adiungendus est conceptus alius definiti, ut illius essentiam explicet, aliàs esset instar cuniculi picturae, cui adscribendum esset, *Hic est cuniculus*, ut suum prototypum repræsentaret. Ideo dicebat Aristoteles 6. *Topic.* cap. 2. definitionem talem esse debere, ut ipsa proposita statim nulloque negotio cognosci possit cuius rei sit definitio.

Increbruit iam apud omnes diuisio definitionis in *definitionem nominis*, & *definitionem rei*, licet definitione rei etiam nominis definitio posset comprehendere, cum nomen res sit vniuersalissimum transcendens, quod etiam nomen comprehendit. Verumtamen familiare est omnibus Philosophis distinguere res significatas per nomina ab ipsis nominibus res significantibus, ideo specialiter definitio nominis à definitione rei diuiditur. Definitio nominis illa est, quæ essentiam nominis declarat, & cum huius essentia, & quidditas sit rem significare, definitio nominis erit illa, quæ explicat significationem nominis, & declarat ad quid significandum sit impositum. Ideo Aristoteles 7. *Metaphysic.* cap. 4. & 2. *Poster.* proprius nominis interpretationem appellauit explicationem, quàm modò vulgus nominis definitionem appellat. Definiatur ergo hoc nomen *homo*, vox imposita ad significandum animal rationale. Notat bene Fonseca inquirenti nominis definitionem sæpe satisfieri definitione rei significatæ per nomen, ut cum quis rogat, *quis est homo*: ex intentione cognoscendi nominis significationem, & non primariò rem significatam; illique responderetur, *est animal rationale*, rectè significationem nominis deprehendit, agnoscitque, hoc nomen *homo* impositum esse ad significandum animal rationale.

Ad nominis definitionem redacuntur orationes illæ, quæ explicant nominis originem, ut cum dicimus, *Dux est, qui alios ducit, atque gubernat*. Miles est, qui est ex millibus electus. Consul est, qui Reipublicæ utilitati consulit.

Definitio rei vulgò diuiditur in *essentialem*, *descriptiuam*, & *causalem*. Definitio essentialis est, quæ explicat naturam rei per ea, quæ illi sunt essentialia; sicuti *animal rationale*. Hæc definitio fit per explicationem, extensionem, seu distinctionem partium essentialium definiti, & cum hoc partes Metaphysicas habeat, genus videlicet, & differentiam, ex quibus metaphysicè componitur, & ut plurimum partes